

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Crito, vel, de eo quod agendum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

Immortali-
tas aiorum

quidnam melius quam hoc esse potest, o iudices? Siquis enim illuc profectus liber ab ijs qui se proficentur iudices esse, veros repererit iudices qui iudicare illic perhibentur, Atinoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, aliosque quotcumque semidei iuste vixerunt, nunquid eiusmodi transmigrationis parui pendenda censetur? Rursus Orpheum Musaeumque convenire, et Hesiodum, et Homerum, quam multo aliquis nostrum redimeret? equidem si haec vera sunt, sapius mori velim. Quippe cum mihi in primis mirifice grata sit futura habitatio illa atque consuetudo, quandoquidem una cum Palamede futurus sum, et Aiace Telamonis filio, et alijs antiquorum quicumque falso danati iudicio decesserunt et vita: apud quos meos casus cum illorum casibus conferre vtrique, ut arbitror, non iniucundum foret. Illud praeterea maximum, illic degere scrutante singulos atque examinante quemadmodum hic feci, qui sciam illorum sapiens sit, et quis cum non sit, se tamen existimet sapientem esse. Proinde quanti faciendum, o iudices, perscrutari ducem qui tantum ad Troiam duxit exercitum? Vel Ulysses, vel Sisyphum aliosque quam plurimos quos referre quis potest virosque et mulieres, quibus cum loqui atque examinando versari, inestimabilis prorsus felicitas esset? Siquidem huius causa qui illic degunt haud amplius moriuntur, suntque illi nobis et in rebus alijs beatiore, et in eo insuper, quod reliquum iam tempus permanet immortalis, si quidem vera sunt quae dicuntur. Vos quoque, o iudices, bene de morte sperare debetis, idque unum cogitare verum esse, viro videlicet bono nihil mali accidere posse, neque viventi, neque defuncto, neque res illius a dijs negligi. Neque vero mea nunc casu aliquo acciderunt, sed mihi id constat, mori iam et a laboribus liberari, mihi melius extitisse. atque hanc ob causam diuinum illud signum mihi non obstitit. Equidem haud admodum his indignor qui accusarunt me vel condemarunt, quavis non hac mente accusauerint me atque danauerint, sed quia detrimentum mihi inferre sperabant. Ob hoc utique illis est succensendum. Sed iam ad eosdem illos reuersus, sic eos alloquor. Tantum tamen vos precor, o viri, ut meos quoque filios cum adoleuerint, si ipsi similiter atque ego vobis molesti sint, paenis similiter afficiatis, praesertim si videatur vobis vel pecuniarum, vel alterius cuiusquam rei maioris quam virtutis curam habere: atque si videri velint putentue se alicuius esse praecipui, cum nullius sint, illos obiurgatis, quemadmodum ego vos, quod non illis incubant quibus est incubendum, ac existimet cum nullius praecipui sint, se aliquid esse. Quod si haec feceritis, iusta a vobis passus fuero ego et filij. Sed iam hora est hinc abire, me quidem ut moriar, vos autem ut vitam agatis. Vtri vero nostrum in melius eant, oibus praeterquam deo est incertum.

CRITO, VEL, DE EO QVOD AGENDVM.

M A S I L I I F I C I N I ARGVMENT.



QUEMADMODVM Apologiae, ita Criton quoque tam ordinata, tam plana dispositio est, ut argumento non egeat. Aduerte tamen in primis Socratem, sicut in Apologia videlicet vaticinatus est, sic in Critone dormientem vaticinari, ut cognoscas sapientis proque viro docti et vigilati et dormienti semper adesse. Ex omnibus autem collige eum vobis doctrinae confirmationem. Ap

probationem martyrum. Exemplar iustitiae. Incomparabilem fortitudinem. Contemptum mortalium. Desiderium aeternorum. Religionis denique fundamentum. Quid memoris, vulgi opinionem contemnedam esse, sapientis dumtaxat sententiam, imo veritatem ipsam esse colendam? Quid rursus, non vivere quidem, sed bene vivere exoptandum? Item inimicis malefaciendum esse nunquam, neque iniurias vilescedum? Rursus et periculum mortis interitumque subcundum potius quam peccandum? Quid referam, obseruantiam legum singularem? et inestimabilem patriae charitatem? Quam et parentibus et viis procul dubio anteponit, ob hanc, ut ipse inquit, rationem, quo in alteram profectus vita, valeat aeterno iudici equam antea et vitae reddere rationem, neque leges quae illic imperant humanarum legum sorores expauescere compellatur. Concludit denique rationes iustitiae fauentis mentis suae auribus usque adeo insonare, ut alia audire non possit, frustra que conaturus, quicumque pergit dissuadere. Adit ea solum via esse peragendum, qua deus, id est, ratio diuinitus infusa, perducit.

SOCRATES, CRITO.



VR hac hora venisti, o Crito? An non valde adhuc est ante lucem? CR. Valde quidem. SOC. Quando vero maxime? CR. Profunda aurora. SOC. Admiror quemadmodum ipse custos carceris tibi obtemperare voluerit. CR. Familiaris iam mihi est, o Socrates, ob crebrum huc aduentum meum. Praeterea beneficij a me non nihil accipit. SOC. Venisti in modo? an iam est dudum? CR. Satis dudum. SOC. Proinde cur non statim me excitasti, sed silentio affedisti? CR. Nunquam per Ionem, o Socrates, excitassem. Neque enim ipse velle in tanto dolore euigilare. Sed te iandudum admiror, sentiens quam suauiter dormias. Et consulto non excitauit te, ut quam placidissime degeres. Equidem et per omnem vitam ob huiusmodi motum beatum te iudicavi, maxime vero in praesenti calamitate, quod ea tam facile ac placide feras. SOC. Per absurdum esset, o Crito, si quis tam grandis natu imminente morte moleste ferat. CR. Sed et alij, o Socrates, aequales senes similibus calamitatibus opprimuntur, quos tamen atas ab afflictione quam fors praesens affert secum, non liberat. SOC. Ita est. Sed cur non adeo mane venisti? CR. Nuncium, o Socrates, ferens acerbum: non tibi quidem, ut mihi apparet, sed mihi potius et familiaribus tuis omnibus et acerbum et graue. Quod equidem inter grauissima, ut arbitror, numerauerim. SOC. Quidnam hoc? Nunquid nauis ex Delo iam redijt? qua reducta mihi est moriendum. CR. Non dum redijt quidem, sed reditura videtur hodie, quemadmodum nunciatus nonnulli est Sunio venientes, qui ibi eam reliquerunt. Constat ergo ex his nuncijs, hodie esse venturam, ideoque necessarium fore te eras, o Socrates, et vitam decedere. SOC. Bona, o Crito, fortuna. Si ita dijs placet, ita esto. non tamen existimo illam hodie redituram. CR. Unde nam id coniectas? SOC. Dicam equidem, si quidem postridie quam nauis redierit, mihi est obiectum. CR. Sic utique autem hi, penes quos rei huius potestas est. SOC. Itaque non hac die venturam puto, sed altera. Coniecturam vero ex somnio quodam accipio, quod paulo ante hac ipsa nocte mihi visum est, opportuneque videris somnium mihi non perturbasse. CR. Sed quale id somnium erat? SOC. Videbatur mihi mulier quadam adueniens pulchra et aspectu grata, vestes habes candidas, vocare me, atque dicere, O Socrates, tertia hinc die Phthiam peruenies latiglebarum. CR. Quam mirum id in somnium, Socrates. SOC. Manifestum tamen, ut mihi videtur. CR. Manifestum certe. Sed, o beate Socrates, et nunc crede mihi, ac saluus esse velis. Mihi enim scitum obieris, non unum tantum calamitas imminet: sed pra-

ter id quod te orbatu fuero tali necessario, qualem alterum nunquam reperiam, videbor utiq; multis qui neutrum nostrum satis nouerint, cum potuissem te seruare, si minus pecunijs pepercissem, te penitus neglexisse. At qui quã nã maior potest esse infamia, quã videri pluris fecisse pecunias quã amicos? Non .n. poterit persuaderi compluribus te hinc abire noluisse, nobis quo id ageres o studio contendentibus. SOC. Quid verò à nobis, o beatè Crito, tanti vulgi opinio estimatur? Probatissimi .n. viri, quorum magis habenda ratio est, hac ita gesta esse vt gesta sunt, arbitrabuntur. CR. Attamen vides, o Socrates, compelli nos opinionem quoq; vulgi curare. Presentia .n. hac declarant posse vulgus non minima malorum, imò ferè maxima, si quis in populo calumnijs agitetur, inferre. SOC. Vtinam, o Crito, posset vulgus maxima inferre mala, vt vicissim maxima posset bona. & benè quidem se res haberet, neutrum verò potest, quippe cum neq; prudentem, neq; imprudentem efficere valeat. Faciunt verò quodlibet, vt cunq; contingit. CR. Hac quidè ita se habeant. Ad id verò Socrates mihi responde, nũ forte mei ceterorumq; necessariorũ tuorum respectus te retinet, ne si hinc euaseris, calumniatores nos postea vexent, quasi te hinc furati fuerimus, cogamurq; vel totũ patrimonium, vel permultas pecunias amittere, vel prater hæc aliud quippiam pati. Si quid tale times, curam eiusmodi pone. Iustum nãq; est, nos tuæ salutis gratia non hoc solum, verumetiam si oportuerit maius aliud subire periculũ. Verum mihi obtæpera, neq; aliter facias. SOC. Et hæc equidè & alia multa, o Crito, considero. CR. Ne igitur hæc vereare. Neq; .n. multum est argentum quod postulant hi qui seruare te atque hinc educere pollicentur. Vides præterea quã tennes sint calumniatores tui, vt non magna ad eos placãdos largitione sit opus. Tibi verò pecunia adsunt mea ad hoc, vt opinor, sufficientes. Proinde si quo mei respectu adductus nõ putas meas pecunias erogandas, adsunt hospites hi parati persolvere, quorum vnus èt huc attulit sufficientem pecuniam ad hoc ipm paratã Simmias Thebanus. Ad hoc ipsum proptus est & Cebes, aliq; permulti. Quãobrem, vt modo dicebam, nihil tale metuas, quo minus serues teipm. Sed neq; èt illud quod in iudicio dixisti, te remoretur, si hac vrbe exires, quò teipm verteres te minimè habiturũ. Alijs .n. multis in locis quocunq; profectus fueris, te hoies colent: ac si velis in Thessaliam te cõferre, reperies illic hospites meos, qui te libentes libentissimè cõplectentur, tutumq; presidio suo adèò reddent, vt nemo in Thessalia tibi iniuriam sit facturũ. Accedit ad hæc, o Socrates, quòd rem minimè instam aggredi videris, si cum saluus esse possis, teipsum perdas, taliaq; contrã te facere studeas, qualia inimici ipsi tui contenderent, contenderuntq; te perdere properantes. Proinde filios quoq; tuos perdere mihi videris. quos cum liceat tibi educare atq; erudire, deseris oino, & quantum in te est, eorum mores fortuna cõmittis. Accident verò eis verisimiliter, qualia euenire orphanis consueuerũt. Profectò oportebat non genuisse filios: aut in eis educãdis erudiendisq; labore non recusare. Tu verò mihi videris q̄ elegisset vir segnis ac piger, nũc elegisse: decebat aut contrã viri boni fortisq; eligere, p̄sertim te per oẽm vitam virtutis studiũ profitentẽ. Itaq; non possum tua nostraq; vice familiarium

tuorum nõ erubescere, veritus ne tota hæc res tua ignavia quadam nostra sic tractata fuisse videatur. Et primum quidem ille tunc in iudicium ingressus cum liceret non ingredi, deinde concertatio ipsa iudicij similiter acta, & extremus hic finis, tanquam ridiculum quiddã per ignaviam segnitieq; nostrã effugisse nos videbitur, quòd nec nos te seruauerimus, neq; tu ipse te, cũ id fieri absq; magna difficultate potuerit, si vel parũ in nobis vsus industriæ fuisset. Hæc igitur, o Socrates, cõsidera, ne præterquã quòd mala sunt, et dedecori tibi nobisq; sint, sed tibi consule. Imò verò nõ iam amplius consulendi tps, sed consultũ iam esse oportuit. Vnicũ verò consiliũ est, videlicet venienti hac nocte cuncta hæc facta esse oportere. Sin aut vltra tardamus, nihil omnino fieri vterius poterit. Quamobrem oino mihi adhibe fidem, o Socrates, nec illo modo aliter facias. SOC. O amicè Crito studiũ hoc tuũ permulti faciendũ esset, si qua rone rectã susceptũ esset. Sin minus, quanto vehementius est, tanto molestius. Cõsiderandũ est igitur, agendane hæc nobis sint, an non. Nã ego is sum non modo nunc, sed & semper, qui meorũ nulli pareã præterquam roni q̄ ratiocinanti mihi optima videatur. Rationes itaq; illas quibus superioribus temporibus vsus sum, nec nunc quidem, postquã in hanc fortunam incidi, rejicere possum, sed similes mihi ferè apparent, easdemq; in p̄sentia quas & prius veneror atq; profiteor, adèò vt nisi nunc meliores afferre possimus, planè scire debeas me tibi non concessurũ, non si et plura quã nunc multitudinis potentia cõminata nos tanquã pueros laruali terribiliq; facie perterrere conetur, pœnã, & damna, catenas, cades obyciens. CR. Quãnam igitur roni paululũ considerabimus? SOC. Hæc utiq; si id quod tu de opinionibus paulò antè dicebas, resumamus, vtrũ semper rectè se habeat ne cene, oportere scilicet quarundã opinionum rone habere, quarundã verò minimè. An forte prius quã in periculũ moris incidere, rectè id dicebatur: nunc verò constat frustra disputationis gratia ita dictum fuisse, cũ reuera loco cuidam nugũq; esset addictũ. Cupio equidem, o Crito, vnã tecũ considerare, nunquid sermo ille prior alienus appareat mihi nunc in hac fortuna constituto, an prorsus idem qui & prius: atq; vtrum dimittendus sit à nobis vel ipsi obtemperandum. Considera igitur an non sufficienter tibi dici videtur, nõ oportere oĩs opiniones hoĩum sequi, sed alias quidem sequi, alias vero negligere, neq; oĩum quidem, sed duntaxat quorundã. Quid ergò dicis? hæc non rectè dicuntur? CR. Rectè. SOC. An non bonas honorare decet, malas verò contemere? CR. Ita decet. SOC. Bonæ aut nõnne prudentum? Mala contrã sunt imprudentum? CR. Quĩd nĩ? SOC. Age verò quõnam modo rursus talia dicebãtur. Qui in gymnasijs se exercet, vtrum cuiuslibet hoĩs laudi vel vituperationi mentem adhibebit, an illius tantum qui medicus sit aut gymnasijs magister? CR. Huius solius. SOC. An non timere decet vituperationes, & optare laudes illius vnus potius quã multorum? CR. Proculdubio. SOC. Hæc itaq; rone illi agendum est exercendumq; & edendum atq; bibendũ, qua illi vnico videatur qui præsideat intelligatq; potius quã vt videtur vulgò. CR. Vera hæc sunt. SOC. Quid verò si illi vni non pareat, opinionemque eius & commendationes nihili pendat, honoret verò multorum ignorantumque commendationes,

nes, nūquid à malo tutus erit? C. R. Minime. S. O. C. Quid autē est id malum, & quoniam tendit, & inquam non obedientis partem? C. R. In corpus videlicet, hoc. n. corrumpitur. S. O. C. Recte dicis. Nonne & de alijs, ò Crito, eadem ratio est? Ne oīa percurramus, de iustis inquam iniustisq̄, de turpibus & honestis, bonisq̄ & malis, de quibus in presentia nobis consultatio est, Vtrum multorum opinionem sequi Vereriq̄ debeamus, an vnius potius qui intelligat, quem decet & Venerari & timere magis quam cunctos alios. Cui nisi obtemperauerimus, ledemur & corrumpemur in eo quod iusto quidē melius fieri, iniusto autē corrumpi solet. An nihil id est? C. R. Id quidem, ò Socrates, arbitror. S. O. C. Age verò, si id quod à salubri quidem fit melius, ab insalubri verò corrumpitur, corrumperimus imperitorum potius quam peritorum secuti iudicia, an nobis eo destrūto viuendum erit? Est autem id corpus. nonne? C. R. Corpus. S. O. C. Nunquid ergò viuendum nobis cum deprauato corpore atq̄ destrūto? C. R. Nullo modo. S. O. C. An fortē cum illo viuendum est nobis corrupto, quod iniusto quidem leditur, iusto verò viuatur? Nunquid vilius illud, quam corpus existimamus, quicquid illud est ò nostris, circa quod iustitia iniustitiaq̄ versatur? C. R. Nullo modo. S. O. C. Sed preciosius? C. R. Valde. S. O. C. Non igitur, ò vir optime, admodum nobis curandum est, quid de nobis multi loquantur, sed quid dicat is vnus qui intelligit iusta & iniusta, atque ipsa Veritas. Quamobrem primo quidem non rectē adduxisti, opinionem vulgarem de rebus iustis & honestis et bonis harumq̄ contrarijs esse alicuius existimandam. At verò dicit aliquis, posse vulgus nos interficere. C. R. Nimis dici id potest, ò Socrates. S. O. C. Vera loqueris. Sed ò mirabilis, hęc ratio quam percurrimus superiori similis esse videtur, atq̄ hęc rursus considera, Vtrum nobis maneat necne, videlicet, non multi faciendum esse viuere, sed bene viuere. C. R. Manet quidē. S. O. C. Sed hoc quoq̄ manet necne? bene & honeste & iuste viuere idē esse? C. R. Constat. S. O. C. Igitur ex his q̄ confesisti sumus, hoc considerandum, Vtrum iustum sit conari me hinc exire Atheniensibus non dimittentibus, vel iniustum: ac si appareat iustum esse, tentemus: si minus, omittamus. Quas verò tu afferis considerationes de pecuniarum sumptu, de vulgari opinione, de filijs educandis: cauendum est, ò Crito, ne excogitationes reuera horum multorum sint, qui facile interficiunt, atq̄ eorum qui similiter inquam, si possent, reuiscerent, & id quidē absq̄ mente. Nobis verò quandoquidem sic exigit ratio, nihil aliud attendendum est quam quod modo dicebamus, Vtrum agemus iusta pecunias largiendo, gratiamq̄ habendo his qui me hinc educant: Vtrum inquam in hoc agamus iusta nos quidem educti, illi verò educantes, an potius Vtrinq̄ in his omnibus agendis agamus iniuste: atque si appareat nos iniuste aggredi, ne excogitandum quidem id est, sed mansuete subire decet & mortem & quoduis aliud supplicium prius quam quicquam agamus iniuste. C. R. Recte loqui videris Socrates. Considera tamen quid agamus. S. O. C. Consideremus, ò bonē vir, vna. Ac si qua in parte me dicentem redarguere poteris, redargue, ego. n. assentiar. Sin minus: desine queso, ò vir beatē, iam toties eadē verba repetere, oportere scilicet me hinc Atheniensibus inuitis abire. Equidem multi facio persuaso te hęc agere, nō an

tem inuito. Attende itaq̄ nunquid considerationis initium tibi sufficienter dictum sit, conareq̄ quod rogatus sis ita respondere, vt maxime censeas respondendum. C. R. Conabor equidē. S. O. C. Dicimus sanē nullo modo spōtē esse iniuriandū. An fortē quodā pacto iniuria faciēda est, aliter verò nequaquam? Vel potius iniuriari nullo modo vel bonum est, vel honestum, quemadmodū in superiori tempore sape confesisti sumus? Quod quidem & nuper est confirmatum. An fortē omnes illa superiores conuentiones nostrae in paucis his diebus prorsus euauerunt, ac iādiu nos tam grandes natu hoīes, ò Crito, tamq̄ studiosē inuicem differentes latuit nihil à pueris nos differre? An potius sic prorsus res se habet, vt iādiu dicebamus, siue affirmet id multitudo, siue neget, & siue grauiora praesentibus, siue leuiora subire cogamur? Attamen iniuriā facere, omnino malū turpeq̄ esse fatemur illi ipsi qui facit, an nō? C. R. Fatemur certē. S. O. C. Quamobrē nullo modo iniuriandū est. C. R. Nullo quidem. S. O. C. Neque si iniuriam passus fueris, vlciscendū, vt vulgus putat. si quidē nullo modo iniuriandum. C. R. Ita videtur. S. O. C. Quid verò? mala alicui facere decet ò Crito, an nō? C. R. Non certē, ò Socrates. S. O. C. Quid autē qui mala patitur, nū mala vicissim referre illi debet qui intulit, vt vulgō videtur? Iustumne id esset an iniustum? C. R. Iniustum. S. O. C. Nempe mala inferre hoībus nō discrepat ab iniuria. C. R. Verē loqueris. S. O. C. Neq̄ igitur vlcisci decet, neq̄ malefacere cuiquam hoīum, quodcumq̄ ab alijs ipse passus fueris. Et vide, ò Crito, nequid dum hęc cōcedis, praeter sn̄am tuam nobis assentiare. Per paucis. n. scio quid loquar, sic vel apparet vel apparebit. At verò qui bus sic apparet, & quibus aliter, his non est cōis delibere ratio, sed necesse est eos cum vltro citroq̄ consilia sua respiciunt, inuicem se despicere. Animaduerte igitur & tu diligenter, Vtrum tibi inhiq̄ cōis sit hęc opinio, mecumq̄ sentias, atq̄ Vtrum ab hoc principio exorsi deliberemus, quasi nunquam rectum sit vel iniuriari, vel vlcisci iniuriam, vel malū referre in eum qui intulit. An hic discedis à nobis in hoc principio non consentiens? Mihi quidē & iādiu, nūc ita videtur. Quod si tibi apparet aliter, dic, & doce. Sin autem in superioribus permanes, iam quid sequatur audi. C. R. Consentio equidem & permaneo, dic igitur. S. O. C. Dico ergò deinceps, imò potius interrogo, Vtrum qua quis confiteatur alicui iusta esse, facere debeat, an fallere? C. R. Facere. S. O. C. Ex his iam ita considera. si nos hinc abeamus praeter ciuitatis consensum, Vtrum malē aliquibus faciemus, & his quidem quibus minimē decet, vel non: & Vtrum in his permanebimus q̄ iniusta esse cōuenimus, vel cōtrā. C. R. Nequeo equidē, ò Socrates, ad hęc respondere. Neq̄. n. intelligo. S. O. C. Verū ita considera, perinde ac si volētibus nobis hinc siue aufugere, siue quomodocumque hoc vocandum est, veniant leges, ciuitatisq̄ huius respública, & instātes nobis sic inquirant: Dic nobis, ò Socrates, quidnam cogitas facere? An non intelligis hęc re quam aggredieris, te nobis legibus, toti q̄ patria quātum in te est interitum machinari? An putas ciuitatē vllam amplius stare posse, ac non subuerti in qua iudicia publica nullā vim habeant, sed à priuatis hoībus contemnantur atque frangantur? Quid ergò dicemus ad hęc ò Crito, aliāq̄ huiusmodi? Per multa. n. in hanc sententiam afferre quis pot,

Num vlcisci liceat.

praesertim orator pro lege ita soluta declamans, qua quidem sententias publico iudicio latas iubet ratas esse. An respondebimus illis civitatem non recte iudicando nobis iniuriam intulisse? *Ita an aliter? CRIT.* Ita per Iouem, o Socrates. *soc.* At. n. leges ipsa sic responderent. O Socrates nonne nobis tecum id conuenit, standum tibi esse iudicij, qua civitas tulerit? Quod si leges ita loquentes admiraremur, forte dicerent: Noli Socrates qua modo diximus admirari. imo responde, cum tibi & interrogare & respondere sit consuetum. Dic age quidnam nobis ciuitatis succenseas, quod dissoluere nos contendas. Principio nonne te genuimus? atq; per nos pater tuus matrem accepit tuam, & produxit te? Dic ergo, an has inter nos leges qua sunt circa coniugia improbes, atq; his aliqua in parte quasi minus rectis succenseas. Nihil succenseo dicere. Sed an his legibus qua educationi eruditio- nis, natorum prouidet, in qua ipse quoq; eruditus es? an non recte disposuerunt haec leges ad hoc officium condita, cum iuberet patrem tuum in musica te & gymnastica erudire? Recte disposuisse concedere. Age ergo, postquam per nos genitus es educatusq; ac eruditus, primo quidem, num potes negare te nostrum esse & natum & seruum, ipsumq; te & progenitores? Deinde cum id ita se habeat, an putas ius ex aequo tibi atq; nobis esse, & qua nos tibi facere aggrediamur, eadem vicissim in nos abs te referri iustum esse iudicas? An cum nec ad patrem, nec ad dominum si eum habeas, tibi ius ex aequo sit, ut qua ab illis patiari in eos referre possis, neq; si iurgio hi te laceasant, contra iurgare, neq; si te verberent, vicissim verberare, neque alia eiusmodi in eos tentare liceat: contra patriam vero ac leges tibi licebit? Adeo ut si nos iudicantes id esse iustum, interficere te velimus, tu vicissim nos leges & patriam pro viribus coneris occidere, dicasq; te in his agendis iusta facere, qui virtutis curam reuera habere profiteris. An sic es sapiens ut te latuerit & patri & matri & progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam? atq; esse uenerabilius quiddam sanctiusq;? & in superiori sorte, tu apud deos, cum apud homines mentis compotes esse patriam collocandam, colereq; eam oportere magis, eiq; obedire, ac rigidius se gerenti mitius assentiri quam patri, & siquid iubeat vel dissuadere illi quantum liceat, vel facere, & patientissime sustinere quicquid iusserit patiendum? Ac siue mandauerit verberari te, siue in vincula conijci, siue in praelium miserit ad vulnera excipienda mortemq; subeundam, obediendum est omnino. Ius enim ita dicitur, & neq; tergiversandum, neq; fugiendum, neq; ordinem deserendum. sed & in bello, & in iudicio, & prorsus ubiq; ea sunt qua respublica patriaq; iusserit, facienda: aut certe verbum quatenus iustum est, ut licet ad persuadendum illi, eamque placandam. Ut autem uti nefas est, vel contra matrem, vel contra patrem, maxime vero omnium contra patriam. Quidnam ad haec dicemus Crito, verane loqui leges, an contra? *CRIT.* Tibi quidem videntur. *soc.* Proinde leges forte dicent. at aduerte, o Socrates, verum vero dicamus te iniusta contra nos aggredi. Nos quidem qua te & alios ciues genuimus, educauimus, nutriuimus, participes bonorum omnium qua in nostra erant potestate effecimus: tamen permittimus cuilibet Atheniensium cognitis iam ciuitatis moribus legibusq; & reipublica gubernanda

forma, si cui non placeamus, licere acceptis suis quocumq; placuerit hinc abire. Nec ulla ex nobis legibus impedit aut denegat, siue quis vestrum cui nos ciuitasq; minime placeamus, in coloniam aliquam hinc velit discedere, siue habitationem alio transferre cupiat, quo minus id pro arbitrio facere valeat, secumq; sua perferre. Ac vero quicumq; ex vobis, postquam cognouerit quemadmodum nos iudicia disponimus, & in ceteris omnibus regimus ciuitatem, permanserit tamen, hunc iam assueuimus opere ipso conuenisse nobiscum quacumq; iusserimus se facturum. Atq; eum qui non paruerit, tripliciter iniuria ricensemus, & quod genitricibus nobis non obtemperat, & quod nutricibus non obsequitur, & quod pactus nobis obedire, neq; obedit, neq; persuadere nobis studet, si quid minus recte facere videamus. Cumq; praeccepta nostra libere proponamus, neq; mandemus rigide, sed permittamus alterum e duobus, aut verbis persuaderi nobis, aut mandata explere, tu horum neutrum facis. Hinc ergo criminibus te, o Socrates, obnoxium iudicamus ferre, si qua cogitas feceris, nec minime Atheniensium te, sed maxime omnium. Ac si causam requiram ob quam praeter ceteris sim obnoxius, forte iuste me remorderent, dicentes me maxime omnium Atheniensium ciuitatis legibus consensisse. sic enim inferrent, Magna nobis, o Socrates, horum sunt argumenta, tibi nos ciuitatem placuisse. Nunquam in. maxime omnium Atheniensium continuus in ea moras traxisses, nisi tibi mirifice placisset. Itaque nec spei et aculi gratia, urbe inquam egressus es, nisi semel in Isthmum, nec alio usquam nisi in militia, neq; aliam fecisti peregrinationem inquam, quemadmodum ceteri solent, neq; alterius ciuitatis te cepit cupiditas aliarumque legum: sed nos tibi nostraq; ciuitas satisfecimus, usque adeo vehementer probasti nos, nostrumq; moribus victurum te consensisti, tum in ceteris rebus, tum quia ea filios procreasti, utpote qua tibi placuerit. Quin etiam licebat tibi in ipso iudicio exilium postulare si voluisses, atq; quod nunc inuita ciuitate aggredieris, tunc ea volente poteras facere. Tu vero verbum tunc te extulisti, quasi non grauius ferres si mori te oporteret. Quinimo mortem ipsam, ut dicebas, potius quam exilium elegisti. Nunc vero nec verba illa tua erubescis, neq; nos leges reueris, sed nobis interitum machinaris. Facis autem quod deterrimus faceret seruus, fugam arripere tentans contra pactiones conuentionesq;, in quibus conuenisti nobiscum nostris te praebens institutionibus gubernandum. Primum responde nobis, num id ipsum verum dicamus, consensisse non verbis, sed re ipsa moribus nostris gubernari debere. An non vera haec sunt? Quid ad haec dicemus Crito, an non confitebimur? *CRIT.* Necesse est, o Socrates. *soc.* Nonne igitur, leges inquit, conuenta nobiscum & pacta transgredieris, qua neque coactus es nobiscum inire, neque deceptus, neque ad breue tempus deliberare ad haec eligenda es compulsus, sed annos septuaginta deliberare licuit? Quo in tempore licuit & abire, nisi tibi placuissemus, conuentionesque iusta tibi visa fuissent. Tu vero nec Lacedaemonem, neque Cretam nobis anteposisti, quas ipse vrbes assidue praedictas recte gubernari, neq; aliam ullam vel Graecarum ciuitatum, vel Barbararum. Imo ex hac rariis peregrinatus es quam claudi & caeci manciq; alij soleant. usque adeo Athe-

nienfis tibi praeter ceteris civitas placuit, atque nos, videlicet leges. Cui enim placere potest civitas, cuius non placeat leges? Nunc vero non permanes in his, in quibus iamdiu nobis tibi convenit. Permanebis certe, si nobis credideris, ne egrediens Urbe deridendus evadas. Considera rursum si haec transgressus fueris, et ea quae inique cogitas, perpetraveris, ad quid tandem id vel tibi, vel necessariis tuis conducet. cuique enim constat in periculo necessarios tuos fore, ne ipsi quoque in exilium expellantur priventurque civitate, et patrimonio suo expolientur. Tu autem siquam in civitatem finitimam te contuleris, vel Thebas, vel Megaras, ut aequum gubernantur recte, hostis primum reipublicae illius accedes, et omnes quibus cura est patria, desipient abominabunturque te, corruptorem legum existimantes. Ideoque confirmabis eorum qui te damnarunt opinionem, ut recte contra te tulisse sententiam videantur. Quisquis enim corruptor est legum, is potissimum et iuvenum imperitorumque hominum videbitur esse corruptor. Quid ergo, civitate sine qua recte gubernatur, et modestissimos quoque homines deuitabis? Atqui si id feceris vitane dignus eris? an forte impudenter te his admiscebis, nec erubescas de eisdem apud eos differere, de quibus apud nos consuevisti? Virtute videlicet et iustitiam, legesque, et instituta legum plurimi esse existimanda? neque putas absurdum, et ab his dissonans apparere Socratis factum? Proculdubio putandum est. Forte vero civitates has declinans in Thessaliam ad Critonis hospites abibis. Illic enim absque ordine et temperantia vivitur. Ac forsitan libenter illi te audient, narrantem quemadmodum in carcere ridicule fugeris, ut fascem quendam tibi superimponens, aut corio tegens, vel alijs quibusdam te inuoluens, quemadmodum solent qui fugam surripiunt, et in alienam figuram te transmutans illinc aufugeris. Quemadmodum vero uir senex parvo admodum tempore, ut verisimile est victurus, ausus fueris ob vivendi cupiditatem in tam sordida inopia vivere, maximas transgressus leges, nullusne dixerit? Forte si neminem offenderis. Alioquin multa, o Socrates, atque indigna te audies. Vives autem obnoxius cunctis hominibus atque deseruiens. Quid vero facies in Thessalia? Coniuviane frequenter abis? ut potest qui in Thessaliam, quasi ad cenam aliquam advenaueris. Disputationes vero illa de iustitia, ceterisque virtutibus ubinam ulterius nobis erunt? Enimvero filiorum gratia vivere cupis, ut nutrias eos atque erudias. An ergo in Thessaliam eos perduces, ut illic nutrias eos, atque erudias, hospites eos efficiens, ut hoc insuper commodi abs te reportent? An id quidem non facies, hic vero relictis melius te vino alentur, atque erudientur a necessariis tuis te absente? Vtrum vero si in Thessaliam abibis, tui id curabunt, sin autem in alteram transibis vitam, non curabunt? Profecto siquid opus est in his qui aiunt se tuos necessarios esse, credendum est curaturos. Ceterum, o Socrates, fidem nobis adhibens nutricibus tuis, neque filios tuos, neque vitam, neque aliud quicquam plures facias quam iustitiam, ut cum in vitam alteram transmigraveris, valeas illic praesidibus horum omnium reddere rationem. Nempe si leges transgressus haec feceris, neque melius, neque iustius, neque sanctius id vel tibi continget, vel tuis, neque illuc tibi profecto conducet. Quin potius iniuriam passus abito, si abie-

ris. non a nobis quidem legibus, sed ab hominibus. Verum si adeo turpiter aufugeris, etiam versa vice iniurias malae referens conventionem nobiscum initas et promissa transgressus, atque ledens eos quos minime oportebat, tempus scilicet, et amicos et patriam, nosque leges, nos utique et viventi tibi infera hic erimus, et in altera vita leges, quae illic sunt nostrae sorores, haudquaquam te benigne recipient, scientes te nos pro viribus differere contum fuisse. Quamobrem, ne Crito aliter tibi quam nos persuadeat, cauto. Haec equidem, o dulcis amice Crito, audire videor, quemadmodum Corybantes tibias audire se putant. Atque in me sermonum eiusmodi sonitus adeo reboat, ut alia audire non possim. Vides quae in praesentia mihi apparent, quibus siquid contradicere aggrediaris, frustra conabere. Veruntamen siquid te profecturum confidis, dicas. CRITO. Ego vero quod dicam, o Socrates, nihil habeo. SOC. Desine ergo Crito, et pergamus haec, quandoquidem haec nos Deus ipse ducit.

PHAEDO, VEL, DE ANIMI IMMORTALITATE, VEL, DE ANIMA. MARSILII FICINI ARGUMENT.



NOSTER de religione liber rem satis per se notam probat, Christi vitam esse virtutis totius ideam. Octavius autem Epistoliarum nostrarum liber, Socratis vitam, vitam Christianam imaginem quandam, aut saltem umbram esse demonstrat: et testamentum quidem Vetus per Platonem confirmat, novum vero per Socratem. Quod autem ad Socratis hanc spectat similitudinem, si quis dubitat, Xenophontem atque Platonem legat, et ceteros qui dicta simul atque Socratis conscripserunt, praecipue Platonis Gorgiam, et apologiam, Critonem atque Phaedonem. Huius ergo Phaedonis deinceps argumentum passu, imo saltu celeri percurrerimus. Eius enim mysteria satis in theologia exposuisse videmur. Vnum hoc in primis admoneremus, ne quis admiretur Socratem inter argumentationes ad immortalitatem animae pertinentes, praetermississe hic illam, quae sola confidit in Phaedro, Animam scilicet esse principium motionis, unde sequatur eam per se perpetuoque moveri, semperque vivere. Id enim ideo factum est a Socrate, quoniam eiusmodi ratio non solum nostris, sed caelestibus etiam, atque daemonicis animis est communis. In Phaedone vero rationes nobis magis propriae requiruntur. Sed iam ad dispositionem dialogi brevissimam veniamus. Principio observandum est, quam mirifice Socrates consoletur amicos, qui eo praecipue die quo venenum bibiturus erat, in carcere, quasi consolatur eum salutaverunt. Deinde quam religiose observet vel somniorum praeccepta, quasi quaedam oracula: et quam in eo apprimere cautus sit, ne minimum quid circa divina mandata delinquat. Tertio memoria mandandum est, homines sub aedibus Dei esse custodia, neque licere nisi quando Deus voluerit, hinc emigrare. Quarto advertendum est diligentes quid sibi velit, ubi ait sperare quidem se in obitu ad bonos viros, deosque alios bonos iturum: sed magis affirmare ad bonos deos quam ad bonos viros iturum. Primo quidem quod de deos alios atque valde bonos, intelligit praeter sphaerarum animas esse mentes angelicas et haeris sublimiores. In quarum familiaritatem animas quoque nostras quandoque admitti posse sperat: nec tamen audeat asserere, propterea quod plerisque sapientibus videbatur satis fore animae factum, si ad consortium ammarum caelestium quandoque recipiatur. Imo vero dubitatio proprie super eam partem caelit, quae bonos appellat viros. Non enim audeat deinde hominum animos affirmare eadem ratione bonos, quae deos dixerat bonos. nos.

Qualis sit corruptor legum.